DISSERTATIO JURIDICA
DE
FILIOFAMILIAS
IN GENERE PACISCENTE,
IN SPECIE MUTUUM CONTRAHENTE,
ET
MULIERE INTERCEDENTE,

QVAM
UNA CVM POSITIONIBVS
IN PERANTIQVA UNIVERSITATE ERFORDIENSI,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO
REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

DN. GUNTHERO,

REGALIS MONASTERII SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI ORD. S. BENEDICTI ABBATE, PRÆPOSITURÆ ZELLENSIS AD VVERRHAM, IN BISCHOFFERODA ET FRANCKENRODA DOMINO,
SS. THEOL. DOCTORE, EJUSDEMQVE FACULTATIS ASSESSORE PRIMARIO, ET PROFESSORE PUBLICO,

PRÆSIDE

DN. JO. GEORGIO BRÜCKMANN,

J. V. D. JUDICII ELECTORALIS PROVINC. ASSESSORE, ET IN EADEM UNIVERSITATE PROFESSORE PVBL.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI
HORIS CONSVETIS,
PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ EXPONIT

FRANCISCVS JOSEPHVS BLVM, *Hildeſinus,*
J. V. C.

DIE XI. SEPTEMBRIS ANNO M DCC XXXXVIII.

ERFORDIÆ,
Typis JOANNIS CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

Biblioteca Nazionale ... NAPOLI

DEO,
PATRIÆ,
PARENTIBUS,
PATRONIS,
ATQVE
AMICIS
SACRUM ESTO.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA DE FILIOFAMILIAS IN GENERE PACISCENTE, IN SPECIE MUTUUM CONTRAHENTE, ET MULIERE INTERCEDENTE.

CAPUT I.

De filiofamilias in genere paciſcente.

§. I.

Paciſci idem eſt ac convenire, quando enim duo vel plures de aliquo dando, faciendo vel omittendo conveniunt, paciſci dicuntur. *l. 1. 2. ff. de pact.* Hinc etiam promiſcuè JCti utuntur vocabulo pactionis & conventionis. *l. 7. ff. de pact.* Similiter in legibus pactio idem denotat, quod pactum, nam pactum à pactione deſcendit, *cit. l. 1. ff. de pact.* & quamvis hæc duo ſtrictè loquendo inter ſe differant, ita ut

pactio ipſum paciſcendi actum, quatenus eſt in fieri, pactum verò ipſum actum in eſſe jam conſtitutum ſignificet, ſicut emtio, & emtum, geſtio & geſtum &c. in Jure tamen noſtro hæc vocabula in unâ eâdemque ſignificatione veniunt. ECKOLT *tit. ff. de pact.* §. 2. Hoc pactum ſ. pactio ſecundum VLPIANVM *in d. l. 1.* §. 2. *de pact.* definitur, quòd ſit duorum pluriumve in idem placitum Conſenſus: ſed cùm hæc definitio ſit nimiùm generalis, atque non conveniens ſoli definito, homines namque in idem ſæpius conſentiunt, utpote dum plures eandem numero puellam ambiunt, duo pluresve Conſiliarii aut Aſſeſſores in idem Conſilium aut votum inclinant, & tamen ille conſenſus pactum non efficit, idcircò ad omnem difficultatem tollendam, & ut pactorum indoles rectè dignoſcatur, ſequens definitio ſubſtituenda eſt, quòd ſcilicet pactum ſit duorum pluriumve in idem placitum Conſenſus de aliquo dando, faciendo vel omittendo, & ſic ſub hac definitione continentur omnia & ſingula pacta, tam affirmativa, ut aliquid detur, aut fiat, quàm negativa, ne hoc vel illud fiat, comprehenduntur quoque ſub hoc pacto ita latè & in genere accepto omnes contractus nominati & innominati, uni- & bilaterales, &c. nec non pacta legitima & adjecta; diſtinguitur tamen pactum 1) à pollicitatione, quæ eſt ſolius offerentis promiſſio, etiam abſenti & ignoranti facta, ZOES. *ad ff. tit. de pact.* §. 2. HOPP. *inſt.* §. *1. de oblig.* & 2) à voto, quod eſt promiſſio Deo deliberatè facta de meliore bono. SCHMALZGR. *de vot. & voti redempt.* In ſpecie ſumitur pactum pro illa conventionis ſpecie, quæ contractui opponitur, *l. 6.*

&

& 7. ff. de pact. & ſtrictè in LL. accipitur pro ſpacto nudo, quod quidem jure civili naturalem obligationem, non tamen efficaciam & actionem producit; quæ theſis pariter ſecundum Jus Can. affirmanda eſt cum COVARR. VALLENS. & aliis, nullibi enim ſpecialis & nominata actio in Jure Can. expreſſa eſt, ut proinde locum habeat, quod dicitur in *Cap. 1. de nov. oper. nuntiat.* Sacri Canones non dedignantur ſequi leges & Jura civilia, nec obſtat *cap. 3. de pact.* nam ibi non ordinaria actio, ſed nuda Imploratio nobilis officii Judicis intelligitur. Moribus tamen hodiernis, ſiquidem nudo pacto eadem vis tribuitur, quæ ſtipulationi, efficax inde naſcitur actio, quam vocant Ddres Condictionem ex moribus, STRYK. *de caut. contract. Sect. 1. cap. 4. §. 5.* GUDELIN. *de Jur. noviſſ. l. 3. cap. 5.* & ex hoc ANDLER, qui ſimul addit: modò promiſſiones ſerias & conſtantes ab inconſideratis & aulicis, cùm quis non diſpoſitivè ſed narrativè vel per jocum & aliud agens, aut officioſis verborum complimentis aliquid pronunciet, diſtinxerimus; de quo tamen dolendum, quòd nunc tot fidibus ludatur una fides, quæ enim humanitatis, quæ innocentiæ, quæ civilis officii partes eſſe poterunt, ubi fides nulla, ſed ubi omnia plena ſunt diſſimulationis falſæ, ac circumventionis.

§. II.

Non fruſtrà autem in hac diſſertatione loquimur de filio *cum hoc addito* familias, vel ut verbis Imperatoris in *§. 6. inſt. de inut. Stipul.* utamur, de eo, qui Juri & poteſtati patris ſubjectus eſt, hæc enim doctrina circa pacta filiorum & liberam eorundem facultatem paciſcendi

ciſcendi tum pro varietate filiorum, tum pro qualitate peculiorum, quæ poſſident, varia eſt. Sic

Primum dogma eſt de filio Emancipato, qui non tam cum patre, in cujus poteſtate non eſt, quàm cum extraneis liberam paciſcendi poteſtatem habet, & ſibi ex tali pacto & conventione efficacem obligationem & actionem acquirit, SCHRAD. *de Stipul. ſervor. n. 11.* cujus ratio eſt, quòd in patre reſpectu filii emancipati ceſſet patria poteſtas, & inde reſultans fictitia perſonarum idenditas; hinc eſt, quòd filius emancipatus, quidquid acquirit, ſibi acquirat: ex quibus porrò cum SCHRAD. *cit. loc. n. 16.* inferimus, quòd parentes, qui liberos in poteſtate patriâ non habent, quales ſunt mater, avus maternus, pater naturalis, & minùs plenè adoptans ſeu extraneus adoptivus pater, à filiis ſuis indiſtinctè ſtipulari, & quælibet cum eis pacta inire valeant, eoquòd ceſſante cauſâ prohibitionis, patriâ ſcilicet poteſtate, ceſſet ipſa legis prohibitio.

Alterum & ſecundum dogma eſt de filiofamilias in ſacris paternis Conſtituto, de quo diſputatio noſtra inſcribitur, & occaſione ejus quæritur, an pater cum filiofamilias, quem in poteſtate habet, paciſci, aut quâvis aliâ ratione convenire & contrahere poſſit? Reſpondemus in regulâ, patrem cum filiofamilias & vice verſa paciſci, aut aliâ quâlibet ratione contrahere non poſſe, ratio, quia talis ſecum ipſo paciſceretur, cùm pater & filiusfamilias pro unâ eâdemque in jure habeantur perſonâ propter poteſtatem patriam, quæ illam unitatem perſonarum inducit, *§. 4. inſt. de inut. ſtipulat.* ibi: *vox tua* (id eſt patris) *tanquam filii, ſicut & filii vox*

tan-

tanquam tua (id eſt patris) *intelligitur. Junct. l. 16. ff. de furt.* nemo autem ſibi ipſi obligari poteſt. *l. 21. §. 3. de fidejuſſ.* nulla proinde patrem inter & filiumfamil. naſcitur obligatio, intellige civilem, Jure enim naturali, cùm ejusmodi ficta perſonarum unitas ceſſet, illas perſonas obligari non dubitamus: unde etiam fratres, qui ſunt ſub eâdem patris poteſtate, licet naturaliter ex pactis ſuis & mutuis conventionibus obligentur, civiliter tamen ob eandem unionis fictionem per neceſſariam conſequentiam obligari nequeunt, *arg. §. 9. & 10. inſt. de Teſtam. ordin. vid. omnino l. 38. ff. de cond. indeb.* Quòdſi ergo pater cum filiofam. contrahere velit, hæc cautela adhibenda, ut priùs eum per Emancipationem de poteſtate ſuâ dimittat, ſic enim definit illa perſonarum unitas, & iterum duæ perſonæ conſtituuntur *arg. l. 10. ff. de opt. leg.* modò, ſi adhuc imperfectæ ætatis ſit filius, tutor ſeu curator ipſi poſtea conſtituatur, & deinde modò illa emancipatio generaliter & non quò ad unum actum fiat, alioqui non ſubſiſteret. PHIL. PASCHAL. *de patr. poteſt. p. 1. C. 6. n. 128.*

§. III.

De Peculio tamen caſtrenſi & quaſi caſtrenſi, uti & de donis à principe datis (quod tertium dogma eſt) patrem inter & filium efficax eſt conventio, quia filius in his rebus pro patrefamilias habetur. *l. 2. ff. ad SCt. Maced. nov. 123. cap. 19. & l. 7. c. de bon. quæ liber.* conſultum ergò eſt, ut exprimatur, contractum de peculio caſtrenſi vel quaſi initum eſſe. Hùc nonnulli referunt peculium adventitium irregulare, ut & de

de eo patri cum filio paciſci liceat tum *arg. nov. 117. c. 1.* ubi dicitur, ejusmodi bona adminiſtrari poſſe quovis modo, tum quòd ceſſet in his ratio, quæ eſt in aliis adventitiis, ſcil. uſusfructus patris, & propterea prohita alienatio, tum etiam quòd ad bona, quæ pleno jure poſidet filius, minimè pertineat patria poteſtas, & per conſequens nec ficta perſonarum unitas, ſed tantùm ad illa peculia, in quibus pater vel omne Jus, ùt in profectitiis, vel tantùm uſumfructum, ùt in adventitiis regularibus, habet. *vid.* HAHN. *ad Weſenb. tit. de pact.* HOPP. *inſt. §. 6. de inut. ſtipul.* Sed hanc ſententiam rectiùs refutat GOEDD. *de contrab. ſtipulat. cap. 7. n 25. & ſeqq.* Imò per *L. fin. c. qui teſtam. fac.* 2dò quòd ratio prohibitionis adhuc ſubſit in bonis, quæ pleno jure ſunt filiifam. ſcil. jus poteſtatis patriæ & perſonarum unitas, ſicut ex *§. 6. inſt. de inut. ſtipul. & l. f. c. de impub. & al. ſubſt.* apparet: neque obſtat *nov. 117. c. 1.* nam intelligenda eſt non de patre ſed extraneo ſive aliis, cum quibus filius contrahendo ſe obligare valet, *cit. §. 6. inſt. de inut. ſtipul.* ibi: *filii verò familiarum aliis obligari poſſunt:* in his namque ceſſat perſonarum unitas, non autem in patre, ſive, ùt loquitur LAUTERB. *§. 44. ff. de pact in fin.* hujus juris ratio non eſt acquiſitio, ſed jus poteſtatis & perſonarum unitas, quæ reſpectu caſtrenſium & quaſi, non reſpectu horum remiſſa legitur. Quarta denique doctrina (ùt mox meminimus) eſt, quòd filiusfam. modò juſtam habeat ætatem, cum aliis omnes in regula contractus validè inire poſſit, quia filiifam. cives ſunt, adeòque contractibus, civium jure, extra familiam rectè utuntur, præterea etiam filiifam.

habent

habent duo juris capita, libertatem nempè & civitatem, quamvis tertium caput, quod eſt familia, non habeant, & ſic tam civilium contractuum, quàm juris gentium ſunt capaces, quemadmodum etiam publicorum munerum & honorum impares haud ſunt, competitque illorum nomine contra eos, tanquam contra quemlibet liberum hominem & civem actio. *l. 39. ff. de O. & A. l. 57. ff. de Jud.* quod procedit, etiamſi filiusfam. ipſe in bonis parum aut nihil habeat, executio tantùm hoc caſu differtur poſt mortem parentum, vel donec ipſe propria bona acquiſiverit. GLOSS. *in l. pen. ff. qui bon. ced. poſſ.* Hinc cautela eſt, nequis cum filiofam. tam facilè contrahat inſcio parente, utpote quòd patrem non obliget, *tot. tit. Cod. ne pater pro fil.* ſed jubente vel alio modo, legitimè tamen conſentiente patre, ut ſic contra patrem locus ſit actioni & exactioni *tot. tit. ff. quod juſſ.* à ſuperiore regula excipitur tamen mutuum conſiſtens in pecunia numerata, ex quo filiusfam. ob SCtum macedonianum cum effectu non obligatur, de quo in *cap. ſeq.* plura differemus.

CAPUT II.

De filiofamilias in ſpecie mutuum contrahente.

§. I.

SCtum macedonianum à macedone filiofamilias, qui, cùm in poteſtate patris eſſet, grande æs alienum conflavit, & cùm non haberet, unde moleſto creditori debitum redderet, patrem ſuum occidit,

nomen accepiſſe, cum paucis docet interpres antiquiſſimus THEOPHILVS *in paraphraſi. inſt. lib. 4. tit. 7. §. 7.* recentior econtra doctorum cohors illud derivare ſolet non à Macedone adoleſcente ſeu filiofamilias, ſed ab improbo ejusdem nominis fæneratore; at cùm non ſit animus multum de nomine ſed de re ipſâ agere, SCtum Macedonianum dicimus eſſe jus à Senatu Romano conſtitutum, quo cavetur, ne creditoribus, qui filiofamilias pecuniam mutuam dederunt, efficax actio detur. *l. 1. ff. de SCt. Maced.* cujus rationem JCtus in *d. l. 1.* pulchrè tradit in verbis: *cùm inter cæteras ſceleris cauſas Macedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam æs alienum adhibuiſſet, & ſæpè materiam peccandi malis moribus præſtaret, qui pecuniam incertis nominibus crederet &c.* ne ergò filiusfam. quando invito & inſcio patre pecuniam luxui ſuo invenire poteſt, parentibus minùs morigeretur, & ne filius ante diem patrios inquirat in annos, melius eſt coarctare juveniles calores, ne cupidini deditus triſtem ſentiat exitum, qui eum poſt diſperſum expectat patrimonium. *l. ult. §. 5. c. de bon. quæ liber* ſub appellatione filiiifam. hoc loco pariter comprehenduntur filiæfamilias, *§. 7. inſt. quod cum eo qui in alien. poteſt.* nepotes & pronepotes, *citat. §. 7. Inſt. & l. pen. §. 1. C. ad SCt. Maced.* ſive adhuc in poteſtate ſive emancipati ſint, dummodò adhùc filiifamilias, id eſt, in patria poteſtate conſtituti nummos mùtuos acceperint: nec refert, an nobiles vel alterius dignitatis ſint, *l. 1. §. 3. ff. de SCt. Maced.* modò non talis ſit dignitas, ob quam à patriâ poteſtate liberati ſunt, eatenùs enim habentur pro hominibus ſui juris, & per hoc SCtum Maced. locum

cum

cum non habet, *arg. d. l. 1. pr.* BRUNN. *ad d. l. 1. §. 3. &c compluſres alii:* Sed objiciunt nonnulli, quòd in *nov. 81. cap. 2.* liberi per dignitatem à patriâ poteſtate ſoluti ſingula familiæ jura retineant, imò in favorabilibus adhucdum habeantur pro filiisfam. in patriâ poteſtate conſtitutis. Verùm Reſp. hoc SCtum ad ejusmodi familiæ jura non pertinere, nec in filiorumfam. ſed parentum & reipublicæ favorem nec non odium impiorum creditorum introductum eſſe. *vid. l. 46. ff. de condict. indeb.* FRANZK. *tit. ff. de SCt. Maced. n. 22.* imò ſæpè, quod alicujus favorem principaliter concernit, in conſequentiam eidem damnoſum eſt, cùm qui habet commoda, eum quoque ſequantur incommoda. HUNN. *ad* TREUT. *vol. 1. diſput. 18. theſ. 7. quæſt. 36.* in principum filiis locum habere negat hoc SCtum Maced. poſt CONAN. BARBOSA *ad l. 2. C. de SCt. maced. n. 27.* Sed cùm & hi in contractibus jure privatorum utantur, eorumque cauſæ in ſummis imperii judiciis ſecundùm jus commune decidantur, idem beneficium habebunt, licet id quadantenus tantæ dignitati repugnare exiſtimet STRYK. *in annot. ad* LAUTERB. *tit. de SCt. Maced.* Emancipati tamen liberi, ſive expreſſè ſive tacitè tales ſint, quales ſunt, qui per conſuetudinem penè univerſalem in germania receptam, æconomiam inſtituerunt ſeparatam, hoc SCto non utuntur, ſicut nec illi, qui habent peculium caſtrenſe & quaſi Caſtrenſe, item peculium adventitium irregulare, nam hîc ceſſat negotium patris & ratio SCti. ZOES *ad ff. de SCt. maced. n. 15.* quoad ultimum diſſentit LAUTERB. *tit. ff. de SCt. Maced.* quia nusquam in jure traderetur, quòd in hoc peculio

lio filiusfamilias haberetur pro patrefam. Sed Reſp. iſta qualitas quidem in factione Teſtamenti deſideratur, non verò in contractibus inter vivos, *vid. nov. 117. c. 1.* ubi filiusfam. de peculio irregulari inter vivos liberè diſponit, & ſic periculum necis paternæ ceſſat.

§. II.

Succurritur autem filio exceptione hujus SCti, licet poſtea ſui Juris factus, *l. 9. §. 2. ff. de Maced. SCt.* quia creditor ſemel contra SCtum deliquit, & qui ſuâ culpâ damnum ſentit, illud ſentire non videtur. *l. 203. de R. I.* Prodeſt etiam hæc exceptio patribus, ſucceſſoribus qualibuscunque, *l. 7. §. 10. ff. de SCt. Maced.* fidejuſſoribus ac mandatoribus, *l. 9. §. 3. ff. cit. tit.* quia hi aliàs Regreſſum haberent contra filium, & ſic per indirectum eluderetur vis SCti Maced. quodque unâ viâ prohibitum, aliâ viâ cenſeretur licitum ac permiſſum. ZOES. *ad ff. cit. loc.* Niſi tamen donandi animo hoc fecerint. *cit. l. 9. § 3.* Sed obſtat *l. 1. C. ne filius pro patre. ubi: neque ſi contra SCtum macedonianum mutua pecunia data eſt, ampliùs quàm de peculio actionem ſuſtinere cogitur pater.* Reſp. Senſum genuinum hujus legis, nè contrarietur aliis hac in re clariſſimis & indubitatis textibus, talem eſſe, ſi creditor contra hoc SCtum nòn peccavit, ſaltem contra patrem peculiotenus actio locum habet, ut ita neceſſum haud ſit correctionem *Collegii Jurid. Argent. de SCt. Maced. theſ. 9. n. ult.* (dum dicit lectionem vulgatam corrigendam eſſe, & particulam *Si* aut planè omittendam aut ante conjunctionem *neque* ponendam) admittere, atque in hoc ſenſu explicito aliæ quoque leges, inter quas *l. 18. in fin. ff. de SCt. Maced.*

Maced. & *l. 7. §. 11. ff. eod.* accipi debent, nam ibi filius conſenſu patris mutuum accepit, cùm à patre tanquam inſtitor negotiationibus eſſet præpoſitus, &c. & tunc utique locum non habet SCtum macedonianum: quibus ſuâ Sponte fluit, exceptionem hujus SCti non perſonalem, ùt vult LAVTERB. *tit. ff. de conſt. princip.* ſed realem eſſe, quod diſertè probat. *l. 7. §. 1. ff. de except.* ubi inter exceptiones reales & rei cohærentes refertur, nec non fidejuſſori datur, inque heredem tranſit. *l. 7. §. 10. ad SCt. maced.* quidquòd hoc SCtum & exceptio inde deſcendens durant in heredibus & fidejuſſoribus etiam mortuo & extinčto filio, cui indulta erant, quod argumentum eſt, SCtum Maced. reale eſſe, & in praxi pro tali habendum, quod teſtatur CARPZ. *P. 2. Conſt. 10. def. 16.* non

Obſtat 1. quòd tamen hæc exceptio ob filiifam. qualitatem & circumſtantias ejus perſonales v. g. ob luxuriam ſit conceſſa & ita perſonalis videatur. Reſp. Perſonalem exceptionem eſſe, cui ſola perſonæ conditio unicè locum facit, non verò ſimul reſpečtus ad cauſam, cui exceptio conceditur, *l. 68. ff. de R. I. l. 8. §. 3. ff. de lib. legat.* hîc verò etiam datur exceptio ratione cauſæ, ſcil. contrači mutui. Non

Obſtat 2. quòd *cit. l. 7. §. 1. de except.* tantùm loquatur de exceptionibus, quæ quidem mixtæ & reales ſunt, ipſa tamen privilegia, unde hæ exceptiones deſcendunt, non niſi perſonalia erunt. Reſp. hæc obječtio ſibi ipſi contrariatur, nam ex negotio merè perſonali non datur exceptio realis, qualis enim cauſa eſt, talis etiam debet eſſe effečtus.

§. III.

Prædicta SCti Maced. exceptio obſtat regulariter cuicunque creditori, ſine diſcrimine ſexûs aut Conditionis, non etiam attento hoc, an creditor ſit publica an privata perſona; Sic datur contra civitatem, *l. 15. ff. de SCt. Maced.* quia ſatis eſt, creditum eſſe filiofam. ut exceptio ex hoc SCto competat, & quamvis civitas alias utatur jure minorum, id tamen tum demum fit, ſi agatur de reſarciendâ læſione, quæ ex re oritur, non verò ſi minoribus ſucurrendum ob defectum Judicii. Sic quoque datur contra heredes & ſucceſſores qualescunque, *l. 7. §. 6. ff. eod.* adeo, ut etiam ceſſionarius quaſi ſucceſſor ſingularis hac exceptione indiſtinctè repellatur, non tamen ille, cui ex causâ oneroſâ delegatio facta. *Caſtr. in dict. §. 6. per l. 8. ff. de dol. mal. & metus except.* requiritur autem imò ex perſonâ creditoris, ut mutuum dare poſſit, quâ de causâ ceſſat hoc SCtum in filiofam. qui ex peculio profectitio, cujus alienandi facultatem non habet, alteri filiofam. pecuniam mutuam dedit, unde pater nummos illos vindicat; Hinc pupillo pariter & minori curatorem habenti, ex hoc, quòd ſine tutore & curatore data per eos pecunia non fiat mutua, ſed iterum vindicetur, opponi non poteſt SCtum Maced. *arg. l. 3. §. 2. de SCt. maced.* Si verò minor curatorem non habens filiofam. minori pecuniam crediderit, melior eſt ratio conſumentis, *cit. l. 3.* §. 2. niſi hic litis conteſtatæ tempore inde locupletior factus fuerit, *l. 34. ff. de min.* aut filiusfam. qui pecuniam à minore accepit, major fuerit, tum ætatis ratio eſt potior, & minor, prævia cauſæ cogni-

cognitione, per reſtitutionem in integrum, viâ replicationis, filiumfam. de SCto maced. excipientem vincit: *l. 11. §. fin. de min.* neque cum ratione objicitur, quòd ipſe ſit in culpâ & delicto, quòd filiofam. nummos dederit, & delicta mutua hoc modo compenſentur; nam hoc concedimus, quando circa idem verſantur, *Innoc. in. c. pen. X. de adult.* ſecus negamus. Non tamen filiofam. nocebit, ſi unâ cum alio ſui juris mutuum acceperit, aut correum debendi ſe conſtituerit: nam nihilominùs ex ſuâ perſonâ utitur SCto, quin alteri ex hac cauſâ ſubveniatur. Requiritur 2dò ex parte creditoris, ut Conditionem accipientis ſciverit, vel ſcire potuerit, *l. pen. ff. de SCt. maced.* aut etiam debuerit, quæ paria ſunt, *l. 5. ff. Si cert. petat.* creditor autem in juſto errore aut probabili ignorantia ſe fundans, hæc omnia probare tenetur, *l. 1. C. cit. T.* & licet aliàs ignorantia, donec probetur ſcientia, præſumatur: *Reg. 47. de R. I. in 6.* hoc tamen non obtinet, ſi alia juris præſumtio ſubſit, & illud, cujus ignorantia prætenditur, jure adeſſe præſumatur, accedit, quòd quilibet conditionem ejus, cum quo contrahit, gnarus eſſe debeat. *l. 19. Pr. ff. de R. I.*

§. IV.

Materia, circa quam occupatur SCtum maced. eſt parata pecunia à filiofam. mutuò accepta: VLP. *in l 3. ff. §. 3. de SCt. maced.* nam contra SCtum is tantùm impingit, qui mutuam pecuniam ſive ſub uſuris ſive ſine iis, *l. 7. §. 9. d. loc.* filiofam. credidit, non qui aliter contraxit, puta, vendidit, locavit, permutavit &c. *vid. differt. noſtræ caput 1.* ratio prioris redditur in *l. 3. ff. cit.*

tit.

tit. quòd pecuniæ datio, quæ aptiſſimum eſt ad omnem luxum ac nequitiam inſtrumentum, pernicioſa parentibus viſa ſit, ex quo inferre licet, ſi quis filium ex cauſâ venditi obligatum habeat, & poſtea cum eo conveniat, ut pretium teneat in vicem mutui, filium tamen efficaciter teneri, cùm enim pecuniæ numeratio ex mutuo non naſcatur, ideo ceſſat SCtum maced. & ratio rationis eſt, quòd origo potiùs obligationis, quàm titulus actionis inſpici debeat: niſi tamen fraus fieret huic SCto, ùt qui credere non potuit, magìs ei vendidit, ut rei pretium in vicem mutui haberet, *l. 3. §. 3. cit. tit. ff.* & niſi alià res in luxum detur filio, utpote ſi mercatores merces ſumptuoſiores, caupones eſculenta & potulenta profuſiùs obtruſerint filiisfam. BRVN. *ad. dict. l. 3. ff. n. 8.* quâ de re etiam ſaluberrima variarum Academiarum ſtatuta inventa ſunt. *vide* HOPP. *ad inſt. tit. quod cum eo, qui in alien.* ratio poſterioris, cur mutui contractu filio tantùm interdictum ſit, non reliquis conventionibus, *l. 3. C. ad SCt. Maced.* eſt illa, quòd alii contractus non tam exhaurire, quàm potiùs locupletare filium poſſint. HARP. WES. quare non idem metuendum, quod in mutuo, ut filius nempe ære alieno obrutus in parentum necem aliquid machinetur. Sed quid ſi filiusfam. in chirographo ſub ſpe futuræ numerationis confeſſus eſſet ſe accepiſſe mutuam pecuniam, quam tamen non accepiſſet, & creditor poſtea eum in Judicio conveniat, num competet SCti maced. exceptio? Sunt, qui negant, eoquòd creditor non fundamentum actionis ſuæ ponat in mutuo, ſed in literis, SCtum verò in ſolo mutuo, & quidem in ſpecie tantùm

tùm in pecuniâ numeratâ per *l. 7. §. 3. ff. de SCt. maced.* locum invenit: ſunt pariter Ddres, qui affirmant, ex ratione, quòd literarum obligatio à mutuo non tam penitùs ſit diverſa, quin potiùs ex præſumpto mutuo naſcatur, & ideo quod obtinet in vero mutuo, idem juris in præſumpto obtinere non improbabiliter ſtatuunt, in quam ſententiam inter alios inclinat STRYK. *de caut. contract. Sect. 2. cap. 7. §. 3.* Audiendus tamen non eſt filiusfam. cum hac exceptione, ſi pro alio fidejuſſerit, quia contraxiſſe mutuum planè dici non poteſt, niſi iterum colore quæſito SCto fraus excogitata fuerit. *l. 7. §. 1. ff. de SCt. Maced.* num autem patri ſuccurratur, ſi Ephorus der Hofmeiſter, vel hoc conſentiente ipſe filiusfam. nummos mutuatus ſit? inter Ddores controvertitur. LAUTERB. *tit. ff. de SCt. Maced.* defendit, quòd dolus Ephori magis patri præponenti, quàm creditori bonâ fide cum eo contrahenti nocere debeat. *arg. l. 5. pr. ff. de tribut. act.* quod admittimus, ſi juſſu & voluntate patris Ephorus vel filius nummos acceperint, licet eos malè impenderint, cùm ita creditor non Ephori aut filii, ſed patris fidem ſequatur, hoc caſu tamen patri regreſſus contra Ephorum non eſt denegandus. STRYK. *in annot. ad ff. de SCt. Maced.* negamus verò, ſi illa poteſtas mutuandi Ephoro à patre data non fuerit: nam tunc filiusfam. etſi conſentiente Ephoro mutuum acceperit, nihilominus beneficium macedonianum & ipſe & pater habet: parens enim ei, quem genito præfecit, mutui accipiendi poteſtatem dediſſe non præſumitur, cùm per illum ſaltem mores filii informari voluerit. LEYS. *in medit. ad ff. de SCt. maced.*

§. V.

Non minùs inter JCtos diſceptatur, num contra voluntatem patris ſtudenti filio à ſciente credita pecunia repeti poſſit? id quod cum multis negat *C. J. A. tit. de SCt. maced. theſ. 5. n. 16.* cùm reipubl. intereſſet, non omnes habere Doctores, ſed & opifices & alterius profeſſionis homines, imò vel maximè liberos alere morigeros & parentibus obedientes. *tot. tit. ff. de obſequiis parent.* econtra affirmant BART. MENOCH. & plures alii propter bonum utilitatis publicæ, quæ literatorum operâ atque ſollicitudine mirum in modum adjuvatur atque promovetur. In hoc Doctorum conflictu præplacet opinio eorum, qui ſtatuunt hac in re multum relinquendum eſſe prudentis arbitramento Judicis, qui pro patris conditione, ſtatu, & bonorum facultatibus, nec non pro ingenio & ſpe boni adoleſcentis, paucis pro fortunâ utriusque & patris & filii, rem ita temperabit, ut neque filius contumax aut refractarius efficiatur, neque pater rerum tenax & nimiùm auſterus audiatur. LAVT. *in Colleg. ff. de SCt. maced.* nec dictis obſtat, quòd creditor, qui filio, invito parente, operam ſtudiis navanti pecuniam ſubminiſtrat, indiſtinctè filium non corrumpat, ſed meliorem reddat, ſalutem publicam non lædat, ſed promoveat, patrisque gloriam augeat per hoc, quòd filium habeat doctum &c. Nam Reſp. filius corrumpitur, quòd in pertinaciâ ſuâ perſiſtat, item læditur diſciplina publica, & eſt quidem gloria patris ſcientia filii morigeri, non tamen contumacis, qui enim proficit in literis, & deficit in moribus & præſertim in pietate parentibus debitâ, plus deficit,

quàm

quàm proficit. Hoc certum, quòd filiusfam. ex pecuniâ mutuò accepta non tantùm naturaliter propter conſenſum, *l. 10. ff. de SCt. Maced.* ſed etiam civiliter, quia contra eum datur actio, obligetur; utraque tamen obligatio, ſicut & actio eſt inefficax, ſiquidem elidatur exceptione SCti Maced. ZOES. *ad ff. de SCt. maced.* non obſtat *l. 1. ff. cit. loc.* nam ibi *petitio non datur* cum effectu, ita ſcil. ut talis creditor exigendo debitum nihil accipiat, actio tamen ſupereſt, quæ per exceptionem enervatur; quod ampliatur 1. ut filius nec in conſcientiâ peccet mutuum non reſtituendo, dum lex tanquam domina rerum huic obligationi ob juſtiſſimas cauſas, & præcipuè propter nequitiam fæneratorum effectum ademit, atque creditores jure crediti ſui privavit; Quapropter in utroque tam in quàm externo foro peccare non dicitur, qui jure ſibi conceſſo utitur. STRYK. *in diſſ. de foro conſcient. cap. 5. n. 60.* INNOCENT. PANORMIT. & COVARR. *ad cap. quamvis de pactis in 6. p. 2. §. 3. n. 5.* Ampliatur 2. ut filius, etiamſi locupletior ſit factus, aut pecuniam adhuc ſalvam habeat, tamen exceptionem SCti opponere poſſit. *l. 9. §. 2. ff de SCt. maced.* quod communiter in praxi reſtringitur ad caſum, ſi creditor pecuniam malâ intentione dederit, ſic enim malitia creditoris punienda eſt. *vid.* ZOES. *ad ff. de SCt. maced. n. 13.* Cautela tamen pro creditore eſſe poteſt, ut probatâ verſione, de in rem verſo agat, quæ SCti maced. exceptionem elidit; ſuperiùs dicta procedunt, ſi non adſint caſus, ubi SCtum ceſſat, de quibus in *ſeq. §. 6.* agemus.

§. VI.

Ceſſat autem SCtum 1mò ob dolum à filio admiſſum & juſtam creditoris ſimplicitatem, aut ignorantiam. *l. 3. ff. ad SCt. Maced.* 2dò propter omiſſam exceptionem hujus SCti. *l. 11. ff. eod.* quæ tamen exceptio non modò ante Judicium, vel eo pendente, verùm etiam poſt condemnationem ad impediendam executionem opponitur. *cit. l. 11.* Licet enim aliàs exceptiones poſt ſententiam non admittantur, hoc tamen fallit in iis, quæ judicium retrò nullum reddunt, & ſententiam tantùm modificant. *C. 15. X. de Jud. l. 24. ff. de procurat.* modò omiſſa ſit iſta exceptio, ſecus ſi oppoſita & per ſententiam Judicis rejecta. *l. 41. ff. de re Judic.* non verò tollit hanc exceptionem expreſſa filii renunciatio, nam multa expreſſè remitti non poſſunt, bene tamen tacitè poſſunt omitti. *l. 4. c. de Jurejurando propter calum.* 3tio ob juſſum patris, ejus mandatum & permiſſionem, item ratihabitionem, *l. 7. & 17. ff. de SCt. maced.* nam ubi pater conſentit, ibi nullum corruptionis periculum metuendum eſt. 4to Ob verſionem in rem patris factam. *cit. text.* 5to Ceſſat in omni contractu extra mutuam pecuniam inito, *vide præced. 6to.* in filio milite, *l. fin. C. eod.* quia ille non niſi in cauſam caſtrenſem pecuniam accepiſſe præſumitur. 6to Intuitu caſtrenſis & quaſi caſtrenſis peculii. *l. 2. ff. eod.* Similiter in peculio adventitio irregulari. *vid. ſupr.* 7timo Si mutuum promiſſum quidem ſit filiofam. ei tamen quà homini ſui Juris & patrifam. demum ſolutum, quia attenditur ſtatus temporis, quo numeratur pecunia mutua. *l. 4. §. fin. ff. eod.* 8vo Si filius ſui Juris factus de-

bitum

bitum agnovit, v. g. novatione, *l. 2. c. eod.* debiti ſolutione, nec quod ſolutum eſt, repetitur, quia hæc exceptio tantùm ſolutionem impedit, non etiam concedit ſoluti repetitionem. *l. 7. §. pen. & fin. ff. eod.* Sed quid Juris in eo, qui partem ſolvit, an is totum debitum approbâſſe videbitur? Negativam poſt BACHOV. *d. 20. th. 8. v. 1.* propugnat STRUV. *in Syntag. Jur. prud. ad ff. de SCt. maced. theſ. 57. n. 4. arg. l. 9. ff. cit. tit.* ibi: Si paterfam. factus rem pignori dederit, SCti exceptio usque ad pignoris quantitatem non ultrà ei deneganda eſt: ergò etiam ſi pars debiti ſoluta, exceptio usque ad partem ſolutam tantùm denegabitur; ad objectionem, quòd in caſu poſteriore locus non ſit decreto ampliſſimi ordinis, *per l. 7. ff. cit. loc. & l. 2. C. eod.* fautores hujus Sententiæ reſpondent: non eſt locus SCto quòad partem jam ſolutam *Con.* quoad partem non ſolutam & adhuc ſolvendam, *neg.* verùm affirmativam rectiùs tuentur ZOES. *ad ff. cit. tit. n. 22. & ſeq.* PEREZ *in Cod. eodem. n. 13.* CHRISTIN. *Vol. 3. dec. 35. n. 11.* cùm adverſantium rationes & reſponſiones ſenſum dictarum legum non exhauriant; *l. 7. §. pen. ff. de SCt. maced.* ſic habet: *hoc ampliùs ceſſabit SCtum, ſi pater ſolvere cæpit, quod filiusfam. mutuum ſumpſerat, quaſi ratum habuerit.* Qui §phus de patre, *§.* verò *ult. cit. l. 7.* de filio, qui ſolvit, his verbis loquitur: *Si paterfam. factus ſolverit partem debiti, ceſſabit SCtum, nec ſolutum repetere poteſt.* Jam ex his neceſſariò infertur: ſi pater ratum habet mutuum, tenetur in totum, atqui cùm pater ſolvere cæpit mutuum filii, illud ratum habet, *cit. §. pen.* ergò in totum tenebitur: deinde habentur in *§. ult. d. l. 7.* duo membra: dicitur enim Imò ceſſare SCtum, 2do

 ſolu-

ſolutum non poſſe repeti, ut ſic primum membrum de parte non ſolutâ, alterum de ſoluta intelligi debeat, aliàs enim nihil prodeſſet, quòd tanquàm paterfam. ſolviſſet, nam etiam, ſi ùt filiusfam. ſolvat, pro parte ſolutâ SCtum ceſſat, ille enim ſolutum non condicit, *l. 4. ff. de cond. indeb.* licet pater id facere poſſit. *l. 3. ff. §. 2. circa finem de SCt. maced.* ſed

Obſtat, quòd inter dationem pignoris & ſolutionem partis commoda diſparitatis ratio dari nequeat. Reſp. negatur illatum, varias namque Ddres & inter hos gloſſa *ad l. 9. ff. cit. tit.* adducunt differentias, vid. ZOES. *ad ff. eod. n. 22. ſeqq.* inter quas illa præponderare videtur, quòd videlicet ille, qui partem ſolvit, non poſſit non agnoſcere totum, quia pars ad totum neceſſariam dicit relationem, & non eſt pars niſi totius; ſecus eſt in eo, qui pignus dat, nam is hoc dat ſimpliciter, quin totum debitum agnoviſſe jure dici poſſit, cùm pignoris datio non ſit pars obligationis prioris, ſed omninò nova & diſtincta obligatio. vid. HVNN. *ad Treut. vol. 1. diſp. 20. th. 8.* HOPP. *ad inſt. tit. quòd cum eo qui in alien. pag. 910.* quæ opinio *in alleg. l. 9.* per particulam correctoriam *ſed* abundè confirmatur, & planè aliud in datione pignoris, aliud in partis ſolutione ab Imperatore in *d. ll.* deciditur.

§. VII.

Poſtremo *hujus cap. 11.* loco non negligi debet quæſtio inter JCtos multùm agitata, annon creditores per modum cautelæ ad excludendum SCtum maced. à filiofam. juratam renunciationem exigere poſſint? ſanè jure Romano hoc juramentum nihil operari certum eſt ob *l. 5. C. de ll.* ſecundum Jus canonicum diver-

ſæ

ſæ ſunt ſententiæ, alii enim & hoc jure juramentum ipſo jure nullum eſſe aſſerunt per *R. 58. de R. I. in 6.* ne ſcil. detur anſa peccandi, ne turbetur diſciplina publica & lædantur jura parentum. Unde non obſtat, quòd hoc juramentum absque peccato ſervari poſſit, ergò. Reſpondent, hoc Juramentum licet ſine peccato, non tamen ſine peccati periculo, & præjudicio tertii ſervari poſſe: nec ad rem facit, quòd hoc Juramentum ſit de re licitâ, adeoque ſervandum: quòd ſit de re licitâ, inde probant, quia materia hujus Juramenti eſt non uſus exceptionis SCti maced. at iſte non uſus eſt licitus, ergò. Reſp. non uſus hujus SCti eſt materia Juramenti remota, non verò proxima, hæc enim eſt obligatio non utendi SCto, ſive ipſa neceſſitas & coactio ſolvendi, quæ, cùm tendat in præjudicium patris & ſimul reipubl. valida non eſt, nec ullum ideo effectum hoc juramentum habere debet, & licet ſolvere tale debitum abſolutè non ſit malum, ſolvere tamen ex tali obligatione, quæ eſt contra bonum commune, quæque vergit in præjudicium tertii, non niſi turpe eſſe poteſt. vid. *c. 28. x. de Jurejur.* quidquòd illa jurata renunciatio magis augeret periculum, quò efficaciùs enim filius ſe obſtrictum ſciret, eò attentior in mortem patris foret, accedit, quòd nemo, niſi facta priùs juratâ renunciatione, filio nummos crederet, atque ita tota vis & finis SCti maced. facilè eluderetur: quod procedit etiam in caſu, quando quis juravit, ſe ſoluturum poſt mortem patris, eoquòd ei vivo nihilominùs periculum immineat, ſecùs eſt in illo, qui poſt mortem patris, cùm ſuæ poteſtatis factus eſt, renunciat, iſta enim

enim renunciatio etiam non jurata tenet, quia tunc ùt homo ſui juris contrahit, & tanquam paterfam. paciſcitur, cui procul dubio exceptio SCti non competit. HAHN. ZOES. LVGO. *mantic. &c.*

Alii dicunt hoc Juramentum, quia ſine diſpendio animæ & periculo æternæ ſalutis ſervari poſſet, abſolutè ſervandum eſſe. Alii Juramentum ſervandum eſſe ajunt, admittunt tamen facilem hujus ſacramenti relaxationem propter odium creditoris & favorem patris & reipubl. vide ZOES. *ad ff. de SCto maced. in fin.* Alii demum diſtinguunt, num filiusfam. ex mutuo ditior factus, nec ne: priore caſu juratam renunciationem validam, poſteriore autem invalidam pronunciant. vid. PICHL. *ad Jus can. tit. de uſur. in fin.* ubi hanc ſententiam communiorem eſſe teſtatur contra LESS. FACH. *&* *alios.* quia alìàs talis renunciatio cederet in præjudicium tertii nempe patris & reipubl.

In praxi, modò nullum ſalutis periculum concurrat, & dolus adverſarii abſit, Juratam hanc renunciationem ad ductum Juris can. validam dicendam eſſe, in conſcientiâ tutius eſt, cùm nullum delictum, neque reſpectu jurantis neque reſpectu illius, cui juratur, contineat. CARPZ. *p. 3. dec. 259. n. 13.* LESS. *de J. & J. l. 2. c. 20. dub. 20.* STRYK. *diſſ. de for. conſcient. c. 5. n. 64. ſeq.* Hinc etiamnum, ſi creditor malà intentione & ad turpem cauſam credidiſſet pecuniam filio, efficacem ei concedere actionem iniquum foret. vid. GODOFRED. *de Jena tr. de SCt. Maced.* Affine huic SCto Maced. eſt beneficium SCti Vellejani, de quo paucis in *Cap. 3.* dicemus.

CA-

CAPUT III.

De muliere intercedente.

§. I.

Fœmina omnem contractum jure communi inire poteſt, excepta ſolâ fidejuſſione, nam ab hac obligatione mulierem liberat SCtum vellejanum; ab initio tempore Auguſti interdictum erat fœminis, nè pro maritis ſuis fidejuberent, cùm hîc non ſponte ſed ex metu viderentur intercedere, poſtea ſub conſulibus Silano & Vellejo latum eſt SCtum, quo fœminis, ne ſexûs muliebris fragilitas in perníciem ſubſtantiæ earum convertatur, pleniſſimè ſuccurritur. *l. 2. §. 1. ff. ad SCt. Vellej.* Interceſſionis verbo omne illud comprehenditur, quo alienas obligationes aut veteres aut novas mulier in ſe recipit. *l. 18. C. eod.* LAUTERB. *ad ff. eod.* itaque, ut mulier dicatur intercedere, duo requiruntur, 1mum eſt, ut ſe obliget, 2dum ut hoc fiat pro alio, quare ſi pro alio ſolvit mulier, ei non ſubvenitur, *l. 4. C. eod.* quia ſolvere non eſt intercedere, non obſtante, quòd ſolvendo mulier in pejus ruat. Reſp. ſufficere, quòd mulier ſic ſe non obliget, ſed alterum liberet, faciliùs autem mulier ſe obligat, quàm ſolvit, & huic imbecillitati ſuccurrere voluit SCtum: aliud ſi præviâ obligatione pro alio ſolviſſet, ſic enim ſolutum repeteret, indebitè enim ſolvit, cùm perpetuâ exceptione ſe defendere poſſit. *l. 40. ff. de condict. indeb.* & quamvis aliàs regulariter id, quod ex parte Juris naturalis eſt debitum, ex parte verò Juris civilis indebitum, ſo-

lutum condici non poſſit, STRUV. *exercit. 18. th. 34* fallit tamen hoc in naturaliter quidem debitis, civiliter autem indebitis, ſi jus civile naturalem Obligationem ſimpliciter reprobaverit, ùt in præſenti caſu factum. FRANZK. *ad ff. de condict. indeb. n. 43.* Nec eſt, quòd dicas: filiusfamilias, quod ſolvit omiſſâ exceptione SCti macedoniani, non repetit, *l. 4. ff. de condict. indeb.* ergò etiam mulier, quod Solvit omiſſâ exceptione SCti Vellejani, repetere non poterit: nam Reſp. neg. conſeq. & rationem diſparitatis hanc damus, quòd exceptio SC. Vellejani ſit merè favorabilis, non item exceptio SC. maced. deinde filiusfamilias natulariter tenetur, GODOFRED. *ad l. 9. §. pen. ff. de SCt. maced.* ergò quod ab eo ſolutum, repeti nequit. Sed

Inſtas: mulier etiam eſt naturaliter obligata, ergò quod in illa Juris eſt, idem obtinebit infiliofam. Reſp. utrumque verum eſſe, cum hoc tamen diſcrimine, quòd in muliere illa naturalis obligatio juſtâ de causâ à Jure civili in totum ſit reprobata, non item in filiofam. quem lex non planè exonerare, ſed fœneratores punire voluit.

§. II.

Hoc SCtum competit omnibus fœminis etiam illuſtribus, quæ pro aliis apud alios interceſſerunt: nam & illuſtres fœminæ ordinariis LL. & jurium beneficiis utuntur, idquod in imperio comprobatur exemplis matrum illuſtrium, quæ, ſi ad legitimam liberorum ſuorum tutelam admittuntur, SCto Vellejano renunciant, vid.

vid. EIBEN *de tut. fœm. membr. 2. theſ. 3. & 17.* ideò in praxi conſultum eſſe ducimus, ſi ad majorem eorum, qui cum tali fœminâ contrahunt, ſecuritatem renunciatio adhibeatur, excipiunt tamen Ddres communiter fœminas Jurisdictionem habentes. *vide* HERING *de fidejuſſ. cap. 7. n. 517.* proficit quoque hoc SCtum heredibus, *l. 20. C. de SCt. Vellej.* & fidejuſſoribus, *l. 14. C. eod.* unde patet, hoc privilegium non perſonale ſed reale eſſe, ſiquidem non tantùm perſonæ ſed & cauſæ ſcil. interceſſioni à fœminâ factæ datur, *l. 7. ff. de except.* ubi interceſſionis exceptio rei cohærere dicitur. *vid. hujus diſſert. cap. 2. §. 2. ubi dubia reſolvuntur.* Quemadmodum autem nihil refert, quales fœminæ ſine diſtinctione, an uxores ſint, virgines, an viduæ, *l. 2. §. ff. de SCt. Vellej.* interceſſerint, ſic etiam apud quas perſonas fidejuſſio facta fuerit, regulariter non intereſt, ſive ſint maſculi, ſive fœminæ, *l. 5. C. ad SCt. Vellej.* & licet non nemo dubitet, utrùm contra aliam fœminam hoc SCtum locum inveniat? nos tamen id affirmamus ex *cit. l. 5.* non obſtante in contrarium notiſſimâ juris regulâ, quòd privilegiatus contra æque privilegiatum ſuo Jure non utatur. Reſp. enim eam fœminam tantùm gaudere privilegio, quæ interceſſit, non quæ credidit. vid. *plura apud* LAUTERB. *in Coll. maj. ff. de SCt. Vellej. §. 5. &* LEYS. *in meditat. ad ff. eod. §. 2.* ubi ſimul præjudicium adducit. Dicimus regulariter, nam, ſi creditor, apud quem interceſſit fœmina, minor ſit, & debitor principalis non ſolvendo exiſtat, mulieri fidejuſſori non ſuccurritur, ut ſic ætatis ratio ſit

 potior.

potior. *l. 12. ff. de min.* Similiter mulieri non prodeſt SCtum, ſi pro dote & in favorem libertatis fidejuſſerit, *l. 12. 24. 25. C. ad SCt. Vellej.* quod interpretes extendunt ad alias pias cauſas, e. g. alimenta, Eccleſias, pauperes &c. rationem ponunt in verbis *cit. l. 24. c. ad SCt. Vellej. ibi: Satis enim acerbum & pietatis rationi contrarium eſt &c.* quam regulam interpretativam tamen STRYK. *diſp. de Jur. privileg. contra privileg. c. 2. n. 61.* reſtringit ad caſum, ubi mulier ex hac interceſſione non fit indotata; cæteroqui enim intereſt, mulieres eſſe dotatas. *l. 1. & 2. ff. de jur. dot.* matri, quæ pro liberis fidem ſuam adſtrinxit, hæc exceptio in praxi non eſt deneganda, atque hæc Sententia in *l. 6. ff. de SCt. Vellej.* non obſcurè fundata eſt. *vid.* LEYS. *cit. loc. ſ. 4. & 5.* ubi præjudicium habet in verbis: **Es kommet der Klägerinnen Vorgeben, daß Beklagte ihre Tochter durch ſolche** Interceſſion **von der gegenwärtigen** Execution **befreyet, in gantz keine Betrachtung, indem das** SCtum Vellejanum **ſo gar denen Eltern, welche ſich vor ihre Kinder, um dieſelbe aus dem Gefängniß zu befreyen, verbürgen, zukommt.**

§. III.

Sicut jura ſuccurrunt deceptis, non decipientibus, ita mulieri doloſæ, quæ ſcit ſe non teneri, & tamen fidejubet animo decipiendi, *l. 30. pr. ff. ad SCt. vellej.* non opitulatur SCtum, veluti nec ei, quæ ſuo nomine & in uſus ſuos pecuniam accepit, illam mox aliis creditura *l. 11. ff. eod.* ubi additur ratio, quòd aliàs nemo

cum

cum fœminâ contraheret, quia neſciret, quid actura eſſet. Neque iſta mulier auxilium hujus SCti implorat, quæ pro interceſſione ſuâ pretium accepit, *l. 23. C. eod.* neque etiam illa, quæ poſt biennium fidejuſſionem pro extraneo factam repetiit, ratio prioris eſt, quòd Jura non deceat eſſe venalia, atque inſimul mulier in ſuam cauſam contraxiſſe videatur, quale & quantum autem debeat eſſe pretium, Judicis arbitrio definiendum eſt: ratio poſterioris eſt, quia mulier poſt biennium conſenſum ſuum reiterans, non ex imbecillitate ſed deliberatè agere præſumitur, ſibique imputare debet, ſi, quod per tantum tempus ſecum cogitare, & feriò penſitare poterat, non fecerit. *l. 22. C. eod.* MANZ. *de fidejuſſ. C. 3. n. 17.* Mulierem mercatoris SCto Vellej. non juvari communis ferè eſt doctorum opinio, ſed cùm alia ſit mercatrix uxor, alia mercatoris uxor, diverſa in hac diverſitate caſuum obtinet deciſio: mercatrix eſt, quæ ſcil. vel ſola & ſine marito de ſuo negotiationem exercet, ſibique acquirit, vel cum marito ſocietatem iniit, de lucro participat, illudque in ſeparatas ſuas rationes infert, atque hæc in rebus ad mercaturam ſpectantibus beneficium SCti non habet, quo tamen non fruſtranda eſt mercatoris uxor, quæ merces vendit è tabernâ, præſtat operas in negotiationibus mariti, debita ſolvit, pecuniam accipit, nam hæc non eſt mercatrix, & nec negotiationem exercet, nec ſocietatem iniviſſe præſumitur. COCCEJ. *in jur. Controv. de SCt. Vellej. quæſt. XV.* cùm ſola operæ collatio mulierem non faciat ſociam, ſed reſpici debeat, an de lucro participet, ſine lucri enim

parte ſocietas iniri non poteſt. *l. 29. §. 2. ff. pro ſoc.* Hinc etiam eſt, quòd virum inter & mulierem, ſi aliud ab initio actum non fuerit, lucrum non ſit commune, ſed, quæcunque conſtante matrimonio acquiruntur, à marito cenſeantur profecta & ad eum ſpectent, ſicque maritus operâ uxoris non tanquam ſociæ, ſed tanquam miniſtræ & præpoſitæ ſive inſtitricis uſus eſſe præſumatur. *l. 51. ff. de donat. int. vir. & ux. vid.* WEHNER. *in obſ. pract. voce* Errungenſchafft.

§. IV.

Ultimatò monendum eſt, mulierem de jure ſibi competente ſufficienter edoctam, SCto Vellejano validè renunciare poſſe, *auth. matri & aviæ C. quand. mulier. tut. offic. l. pen. c. de pact.* etiam extra Judicium, *l. f. §. p. ff. de SCt. Vellej.* & ſine Juramento, *l. 30. pr. ff. eod.* imò etiam in inſtrumento privato; non obſtante *l. 23. c. eod.* nam ibi interceſſio, ut mulier ſit ipſo jure tuta, in inſtrumento publico fieri debet, renunciatio autem in quocunque inſtrumento, & pariter coram teſtibus peragi poteſt. vid. MENOCH. *de præſumpt. l. 2. p. 79. n. 2.* diſſentiunt *Caſtrenſis in l. ult. §. p. ad SCt. Vellej.* BACHOV. *ad* TREVT. VINN. BERLICH. *& complures alii*, ex ratione, quòd eadem cauſa, ſexûs nempè imbecillitas ſeu facilitas, quæ fidejuſſiones irritas fecit, renunciationes quoque disſuadeat, quâ enim levitate & infirmitate mulier intercedit, eâdem renunciabit: ſed Reſp. in renunciatione non eſſe fragilitatem, ſed potiùs pervicaciam mulierum, dum monitæ nihilominùs renunciant.

In-

INSTANT, quòd hæc renunciatio fiat in fraudem legis, adeoque nulla ſit: *l. 5. c. de ll.* Reſp, leges fœminarum interceſſiones prohibentes primariò reſpexerunt favorem mulierum, quæ proinde favori pro ſe introducto iterum renunciare poſſunt: *l. c. p. de pact.* etenim leges non compellunt præciſè mulierem, ut jure ſibi permiſſo utatur, ſed id libero ejus arbitrio relinquunt.

Objiciunt ulterius, quòd filiusfam. tam facilè SCto Maced. renunciare non poſſit, ergò quoque mulier SCto Vellejano adeò faciliter renunciare non poterit: Reſp. SCto Vellejano nuda cauſa bonorum continetur, Macedoniano verò ſcelerum cauſæ, mali mores, peſſima exempla, parricidii metus, & cetera iſtius generis mala: adde, quòd SCtum Vellej. principaliter in favorem mulieris, non item SCtum Maced. in favorem filiifam. introductum ſit.

Dicta procedunt de interceſſione fœminarum pro extraneis: quòdſi pro marito fidejubeant, ipſis in ſpecie ſuccurritur per *auth. ſi qua mulier. C. ad SCt. Vellej. & nov. 134. cap. 8.* ita tamen ut & his ſuis privilegiis, licet difficiliùs, cùm perſuaſionibus plerùmque & blanditiis maritalibus imo & metu ad hoc induci poſſint, renunciare valeant: quibus autem cautelis, ut fidejuſſio pro marito valida & efficax ſit, opus ſit, vide apud STRYCK. *de caut. Cont. & alios paſſim Ddres.* hoc certum, Interceſſionem, quam mulier ſæpiùs, etiam poſt biennum pro marito confirmavit, nullius valoris eſſe. *cit. nov. 134 cap. 8.* licet enim illa cautela proſit, ſi mulier fidejuſſerit pro extraneo, non tamen illa proderit creditori,

tori, ſi pro marito interceſſerit uxor: vid. *cit. nov.* & *l. 22. C. ad SCt. Vellej.* Obſtantem hoc loco *nov. 61. cap. 1.* ſolidè reſolvit HOPP. *ad inſt. tit. quib. alien. lic. pag. 340. ſeq.* hoc pariter admittimus, mulierem, quæ poſt biennium ab obitu mariti, interceſſionem pro eo factam repetit, firmiter obligari, cùm ceſſet tunc ratio prohibitæ interceſſionis, nè ſcil. maritali Imperio, ſimul & blanditiis ad hoc inducatur uxor. STRYK. *de caut. contr. ſect. 2. cap. 6. §. 8. ubi præjud. habet.* Plura equidem hac de utillimâ & in praxi quotidianâ materiâ dicenda ſuperſunt, ſed cùm eam modò fuſiùs pertractare & temporis & inſtituti ratio non permittat, deſiſtimus, & pro peracto hoc ſtudio immortales perſolvimus grates Deo t. o. m. cui omnis debetur honos, cujusque gloriæ nunquam eſt

FINIS.

POSI-

POSITIONES.

I.

Bonæ fidei poſſeſſor omnes fructus, naturales, induſtriales, & civiles ſuos facit.

II.

Princeps privatorum res aut bona quæſita auferre non poteſt, niſi in causâ publicæ utilitatis.

III.

Vaſallus de feudo dubio rectè tranſigit.

IV.

Cautio uſufructuaria non eſt de ſubſtantiâ quaſi uſusfructûs.

V.

Filiusfamilias de peculio profectitio & adventitio, eoque tam regulari, quàm irregulari, patre licet permittente, teſtari minimè poterit.

VI.

Pœna Polygamiæ non ubique Capitalis eſt.

VII.

Actio recantatoria civilis, non Criminalis eſt.

VIII.

Beneficium L. 2. C. de reſc. vendit. in transactione locum non habet.

IX.

Fidejuſſor, qui ſe principalem debitorem conſtituit, excuſſionis vel ordinis beneficio gaudet.

X.

Actor, qui nihil omninò probat, adverſario jus jurandum deferre poteſt.

XI.

Exceptio non numeratæ pecuniæ intra & poſt biennii metas opponi poteſt.

XII.

Pactum ἀντιχρήσεως, *quatenus legitimum uſurarum modum non excedit, licitum, & validum eſt.*

XIII.

Fidejuſſor tam in civili, quàm criminali causâ regulariter intervenire poteſt.

XIV.

Fidejuſſor reo principali arctiùs, ſed non duriùs obligari poteſt, attamen

XV.

In majorem quantitatem acceptus, quàm quæ debetur, in debitam & concurrentem ſummam obligatur.

XVI.

Solvens, omiſsâ compenſatione, ſolutum tanquam indebitum condicit.

XVII.

An is, qui ſe ſoluturum juravit, non obſtante juramento compenſare poſſit? ex Cathedrâ reſpondebitur.

XVIII.

Si defunctus in malâ fide fuerit, ejus tempus Succeſſori univerſali in uſucapionibus non prodeſt, licet bonâ fide poſſideat:

XIX.

Imo nec talis ſucceſſor B. f. ex ſuâ perſona ordinario tempore tit. pro herede uſucapere poteſt.

XX.

Scientia juris alieni non tollit præſcriptionem jurium privativam.

XXI.

Utrùm teſtamentum metu conditum valeat? problema eſto.

XXII.

Redditio Chirographi eſt pactum tacitum, ne ampliùs petatur.

XXIII.

Uxor mariti Creditoribus etiam expreſſam anteriorem hypothecam habentibus præfertur.

XXIV.

Sumptus Studiorum non conferuntur, etiamſi pater eos in rationibus & regiſtris ſuis conſignaverit, hoc enim notitiæ gratiâ tantùm factum eſſe cenſetur, non ut onere collationis filium gravare voluerit.

XXV.

Lex commiſſoria pignoribus validè adjici non poteſt.

XXVI.

Res inter alios acta tertio non præjudicat:
Res inter alios acta tertio præjudicat.

XXVII.

Si quis cum Dno Territoriali circa regalia litem habet, titulum ſuæ poſſeſſionis edere tenetur.

XXVIII.

Utrum l. 7. C. unde Vi. in germaniâ adhuc obſervetur? ex cathedrâ reſpondebitur.

* * * * * * * * *

Quod de Vellejo, quod de Macedone profers
Egregium ſpecimen, Zoilus ipſe ſtupet.
Sed ſtupeant, quicunque velint, livore tumeſcant,
Gera probat, ſatis eſt, Inſtra probabit idem.
Hinc Tibi (qui centum laudes & Vota mereris)
Ex animo grator, fauſtáque cuncta precor;
Maximè ut eximiis (ſi non ſuperare valebis)
Exæques meritis Nomina clara Patris.

Paucis hiſce nobiliſſimo & clariſſimo Dn. defendenti, Amico ſuo ſuaviſſimo & à teneris noto de laudabili conatu ex animo gratulari ſecundóſque in ſtudiis ſucceſſus apprecari voluit

JOANNES THEODORUS BUDDEN,
Hildeſienſis J. U. C. Opponens.

Quem fido è gremio mittebas anxius Inſtra,
Hunc reddit Pallas docta Gerana tibi.
Tu duobularem dederas, Cajum illa remittit,
An prior? an novus eſt? eſt prior, eſtque novus.
Antiquâ Virtute prior neo-Palladis Heros,
Dum prior eſt, laudo, dum novus eſt, ſtupeo.

Hac infante Muſa Prænobili ac clariſſimo Dn. Defendenti, Amico ſuo longè colendiſſimo applaudit

ALOYSIUS à PLETTENBERG,
Salzkottenâ-Weſtphalus LL. C.

Dum Cathedram ſcandis, Patriotis gloria ſurgis,
Quis neget hoc? omni dicere jure queo.
Nam Charites, junctæ in te confluxêre ſorores,
Ingenium finxit docta Minerva tuum.
Affectu hinc patrio verus patriota precatur,
Ut Patriæ ſerum ſis maneasque decus.

Vota DeVotIſsIMa ſVa CæterIs apponI CV-
pIt patrIota atqVe SerVVs tIbI notVs

J. A. DIESTELMANN,
Hildeſienſis J. U. C.

Gratulor ad præſens ſpecimen Tibi, fructus & opto
Major ſit votis, ſorte favente, tuis.

Hiſce paucis Prænobili & doctiſſimo Dno.
defendenti applaudit

F. J. WITTE,
Paderborna-Weſtphalus LL. C.

Pergito Juridicas animum exercere per artes,
Cantabit nomen patria terra tuum.
Præſidis à firmo ne cedas tramite Amice,
Legum ſervator ſic generoſus eris.

Pauca hæc Prænobili & doctiſſimo Dno defen-
denti in perpetuam amicitiæ teſſeram appo-
nere voluit

JOANNES FRANCISCVS FINCKE,
Attendorio-Weſtphalus medic. Cultor.

In

In te, dum Cathedram ſcandis, Gera-Athena ſuperbit,
Helmſtadium fauſtos putat oſtentare triumphos,
Flos floris patriæ, patriæ nova gloria terræ,
Conſerva juris florem, Jus floreat in te.

Paucis hiſce Prænobili ac clariſſimo D. defendenti ex Cordiali affectu aggratulabatur

J. WITTENBERG,
Hildeſienſis, LL. C.

Quòd Cathedram ſcandas, plaudit Gera, plaudet & Inſtra,
Viſurus theſes, ſuavis Amice, tuas.
Nec mirum, ingenii dotes ſe oſtendere fas eſt,
Pallas noſtra probat, Juſſa paterna volunt.
Gratulor ergò tibi, Votum fortuna ſecundet,
Sacra themis reddat præmia larga tibi.

Hiſce Nobiliſſimo ac Clariſſimo D. defendenti affectum ſuum ſpecialem oſtendere Voluit amicus ſincerus

J. R. W.
Erfurtenſis J. C.

A 5 1.14 74548

Digitized by Google